

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 54. (*Neovidensis* 1806. Nro. 47.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium - Meum. - Die Martis 24. Junii 1806 (Neov. 10. Junii 1806.)

De quo scripsisti,

nihil est.

Cicero.

Colloquentes umbrae:

Clio (Dea historiae) et Paulus I. Imperator
Russiae.

Clio. **H**istoria tuae mortis tum memorabilis est, tantique momenti, ut ego eam tam cum praesentibus, quam futuris communicatura mihi proposuerim ejus veritatem ex te percontari.

Paulus. De hoc facto utique multa narrata sunt, multa litteris consignata.

Clio. Rem totam, ut gesta est, et gallicae, et germanicae ephemerides per compendium dederunt. Sed esine illis fidendum?

Paulus. Quid? tota Historia memoriae prodita est? publicis rerum novarum commentariis inseritur?

Clio. Ita se res habet: mihi ipsi prae manibus est similis descriptio.

Paulus. Cupidus sum eam legendi: fac mihi ejus copiam.

Clio. Indulge, ut ego eam tibi praelegam (legit ephemerides Moguntinas.)

De morte Pauli I. Imperatoris Russiae.

Sub hac inscriptione prodiit Parisiis opusculum, quod de morte infelicis Imperatoris Pauli nonnulla orbi hactenus ignota continet facta; lubet praecipua in medium adducere:

Paulus illico, ac thronum conscendit, commisit actionem, forte non satis politicam, quae tamen eidem honori cedit. Cadaver sui Patris, Petri III, de cujus tragica nece inter omnes constat, in Monasterio Nevskiano sepulchro illatum curavit effodiendum, et in tumulum suorum Majorum deferendum; qui funus portabant, ipsissimi erant, qui Petrum e medio sustulerant. Paulus, in Aula suae matris mera adversa perpressus, omnes a se removet, qui cum Imperatrice Catharina arctiorem fovebant conjunctionem. In solio collocatus forte parum est oblitus se esse Magnum Ducem. Militiae quidem favebat supra modum, at carebat sufficienti perspicacia, et promptitudine nova instituta feliciter inducendi. Cum ultimis Imperatricis Catharinae diebus disciplina fuerit collapsa, voluit Paulus eam severis legibus revocare, instaurareque. Praetoriani petierunt

dimissionem, eamque contra suam forte expectationem obtinuerunt. Repetitae, saepe parvae innovationes male contentis suppeditarunt ansam ad seditionem. Et reipsa, quemadmodum bona Pauli consilia omnem merebantur approbationem, ita vituperio digna fuit inconsulta ejus praecipitantia, qua omnes abusus juxta suum judicium tollere conabatur. Magni videbant suis privilegiis imminere periculum; Notum autem est, tribualia illis nihil posse officere, quare Paulus voluit omnes instar civium legibus esse subjectos. Indignatione, sed magis metu moti nonnulli de nobilitate jurarunt interitum Monarchae, quem populus amabat.

Antesignani factiosorum erant tres Suhoffii; Generalis equitatus Comes Pahlen; Generalis Beningson, natione Anglus, qui ad Austerlitz exercitum duxit; Generalis Ouvaroff; Tribunus Tatarinoff; Tribunus Jesselovitz, ac denique Lordius Whitworth Anglicus in Aula Petropolitana legatus.

Paulus mutabat ferme quotidie sua erga Galliam consilia, quia tamen Bonaparte rursus captivos nova donavit veste, eosque absque lytro domum remisit, tantae magnanimitati non potuit resistere, ex hoc die confirmari videbatur in sua sententia. Aula Londinensis probe perspexerat, quanta sibi ex horum duorum Statuum conjunctione nascitura sint detrimenta, quapropter ea praevertere satagebat! Lord Whitworth exacerbatis potentis hominum classis animis usus est

in utilitatem Angliae. Hic quidem legatus adhuc ante plenum suorum consiliorum exitum jussus est Petropoli excedere, verum concessit Regiomontum, ubi, negotium istud dirigebat.

Quaecumque egit Paulus, probarunt hostilem ejus animum erga Angliam. Paucis ante mortem diebus decreverat in partibus sui Regni orientalibus ad peninsulam Kamczadaliam duas celoces armandas, quae in mari Indico impetum facerent in numerosas Anglicas naves mercatorias; Hoc autem decretum erat tantum prodromus aliarum ejus longe graviorum machinationum; Eodem tempore destinata erant 50 millia Russorum, quae superata Persia, in India orientali Anglicas mercium domos occuparent, sicque mercatoriae hujus populi immanitati uno ictu finem imponerent. Anglia tremebat, et conabatur praevisa tela antevertere.

Consilium de inferenda Paulo nece moderabatur vir lentus, sed summe efficax Comes Pahlen, qui tunc militarem egit Petropoli Governatorem. Primum removit ab Aula omnes sibi suspectos, quod illi ex sententia successit. Exitum suae designationis collocavit in dissensione Magnorum Ducum Alexandri, et Constantini cum Caesare, atque hujus cum illis. At indoles Alexandri irritam fecit omnem tentationem, pietas filii cohorrui ad omnem hujusmodi cogitationem. Tum Pahlenius convertit se ad suspiciosum Patrem acturus, quod apud filium

perficere non valuit. Addictissimum Patri Alexandrum describit esse juvenem periculosum, et supremæ potestati inhiantem; imo declarat, se Imperatori non posse aliter securitatem præstare, quam si illico dederit mandatum ad Magnum Ducem Alexandrum interceptum; Paulus vehementissime indignatus suo filio, subscripsit mandatum. Cum hoc properat Pahlenius ad Magnum Ducem, eique exponit adesse necessitatem vi cogendi Imperatorem ad abdicationem Imperii, cumque Alexander continuo reluctaretur, exhibet eidem mandatum, quo jubetur in custodiam dari. Ast tener Alexandri animus nulla ratione potuit induci ad hunc naturæ adversum actum; Pahlenius hanc Alexandri secum ipso pugnam in tacitum ejus consensum detorsit, jamque voluit Magnum Ducem deserere, cum hic jusjurandum postulavit, ne quid hostile in suum Patrem attentaretur.

Interim arcanum hoc non mansit plene occultum. Paulus accersito ad se Pahlenio, inquit, vitæ meæ struuntur insidiae, da operam, ut in rem hanc severissime inquiretur. Augustissime Imperator! reposuit Pahlenius, patent mihi omnia, ut reos deprehenderem, ipse sum in conjuratione. Haec verba a Pahlenio aperta fronte prolata quietum reddidere Caesarem. Cum vero paulo post eidem iterum significaretur, imminere vitæ ejus periculum, caepit credere, Pahlenium revera conspirasse in suum interitum;

Itaque sine mora expeditum tabellarium ad emeritum Gubernatorem Petropolitanum, qui in distantia 10 horarum ab urbe principe certae legioni praeerat, cum nuncio: Pahlenium esse proditorem Caesaris; se summam reponere fiduciam in ejus fidelitate, acceleraret iter, secus actum esse de Imperatore.

Hunc tabellarium interceptum Pahlenius spoliavit litteris; videns autem in mora esse periculum, statuit sequenti die aggredi rem propositam. Eadem die equitavit Paulus cum sibi dilecto Kutaizoffio, quidam de plebe accedebat ad Caesarem porrecturus eidem libellum supplicem; In hoc continebantur omnia adjuncta conjurationis. Sed saepe minimae circumstantiae intervertunt gravissimos eventus. Quo tempore ignotus ille appropinquavit Imperatori, consternatus est ejus equus. Scriptum accepit Kutaizoffius, sed quia mutandae illi erant vestes, ut decenter potuerit mensae Caesareae accumbere, quin legeretur, relictum est in sacco vestimenti.

Die 22. nocte in 23 Martii vergente hora 11 comparuerunt 20 conjurati ad januam lateralem palatii S. Michaëlis; jussi sunt abire: Imperator nos advocavit, responderunt, nam hodie adhuc magnum habebitur consilium bellicum. Cum fuerint dignitate eminentes officiales, admisi tandem sunt ab excubitoribus. Progrediuntur itaque in silentio versus conclave Caesaris, consistunt aliquanto tempore in atrio cohortis praetoriae. In vigiliis

constitutus Officialis adit solus dormitorium Imperatoris, pulsat fores, et quia Paulus novit ejus vocem, immittitur. Reliqui prementes ejus vestigia, praecipites irrunt in cubiculum Caesaris, qui seminudus arrepta fuga se recepit in Museum, ubi arma, et vexilla asservantur. Hic illum primus detexit Beningson. Fit sermo de abdicatione Imperii, At ille ingratos, quos tantis cumulaverat beneficiis, ob turpe hoc factum gravissime reprehendit. Non es amplius Imperator, clamabat Plato Suboff, imperium habet Alexander. Paulus commotus infrunita audacia servi, stringit gladium contra illum. Conjurati cadunt animis. Beningson eos denovo inflamat, ponendo ob oculos periculum, in quod se conjecturi sunt, nisi Caesarem interemerint. Nicolaus Suboff illi primus violentas intulit manus. Paulus corruit prostratus; innumera tunc effusa sunt convitia in illum ex immundo venalium aulicorum ore. Paulus animam exhalavit, cujus ultima verba erant: Constantine! Constantine!

Indignum hoc facinus patrantibus conjuratoribus, primipilus conspiracy Comae Pahlen Praetoriam legionem deduxit ad arcem, expectans rei exitum, ut, si contra spem eveniret, adsit in auxilium Caesaris, si vero ex animi sententia procederet, sustentet factiosos.

Ut Alexandro mors sui Patris innotuit, validis correptus est convulsionibus, quae pluribus horis durabant; rogantibus licet Ma-

gistratibus imperium detrectavit. Pahlenius assumptae personae fidelis, suscepit praesidium ablegatorum, urgentium conscensionem throni. Gloriam cedit humanissimo Imperanti, eum precibus tantum lugentis familiae, suorumque amicorum consensisse.

Paulus. Multa narras, quae penitus ignorabam.

Clio. Quam qui cupidissimus sum sciendi, an omnia veritate nitantur?

Paulus. Omnia non, pars aliqua tantum vera est, caeterum refugit animus infandum denudare scelus.

Clio. Ergo tenebris involvamus rem. Legam tibi ephemerides Parisinas de 5. Maji: Monitor ista scribit: Hodie hora 12 Sua Majestas Imperator, et Rex excipiet Legatum Portae Ottomanicae, et extraordinarios legatos Reipublicae Hollandicae. Praeterito die martis decrevit Sua Majestas dimittendum ab Officio bellicum Comissarium *Lefebre Montaubon*, qui ultimi trimestris lustrationem lectorum militarium in urbe Parisina subscripserat; facta enim inquisitione prodiit, ab eo bis mille lectis plures fuisse expositos in favorem conductorum, quam reipsa exstiterint.